



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Arpaldvm Epsicopvm Ascvlanvm.
Arguit quod ad Synodus non venerit. iubet ad se venire, vt iis, quae a suis
clericis obiiciebantur, respondeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

nicare non debuisti , præcipimus , vt eum de præsentia abfoluas , tuæque communioni restituas : nam si ausu improbo aliter feceris , nos quidem eum auctoritate apostolica procul dubio absolutum esse iubemus . Et si hanc iussionem nostram paruipendens , temerario ausu præsentia nostræ adesse contempseris , ecclesiastica te communione , velut inobedientem esse noueris priuandum ; quousque protius negligentiis dignam veniens nobis satisfactionem humiliter feceris . Data xiii . Kalendas Decembri .

EPISTOLA CCXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ARPALDV M EPISCOPVM ASCVLANVM.

Arguit quod ad Synodum non venerit . iubet ad se venire ,
vt iis , quæ a suis clericis obiiciebantur ,
respondeat .

Reverendissimo & sanctissimo Arpaldo episcopo Asculano .

SECUNDVM sacros venerabilium patrum Canones Spiritu Dei conditos , & totius mundi reuerentia consecratos , pro ecclesiasticis dumtaxat necessitatibus ad eas quas nuper statutis diebus celebrauimus Synodos , mislis ex more auctoritatis nostræ literis , fraternitatem tuam debere occurrere modis omnibus decreuimus . Sed quia ceteris deuote valde venientibus , te minime venisse , cum etiam & auditu didiceris nos Synodum celebrare , neque excusationem tuam regulari tenore in tractoria conscriptam , nobis & sanctæ Synodo , causâ temeritatis , & inobedientiæ tuæ , vt euidenter appetat , non direxisse compierimus ; ne dilectionem tuam de hoc indiscussam præteriisse videamur , hoc nostræ auctoritatis statuto iubemus , eam de præsenti sine aliqua mora , vel ambiguitate ad nos debere venire , nostrisque se obtutibus præsentare . Nam & clerici tuæ nos ecclesiæ adierunt , reclamantes , multa se a tua perpresso fraternitate enormiter aduersa , & contra regulam ecclesiasticam iniuste fore oppressos ; quorum videlicet obiectionibus coram nostro præfulatu afflentem te oportet procul dubio respondere . Et ideo hac iussione nostra percepta occurrere studeas , antequam ecclesia tua

Ll iiij

maius schisma , vel scandalum patiatur : quoniam si venire iam modo contempseris , dignam excommunicationis a sede apostolica prolatam sustinebis omnino censuram. Data viii. Kalendas Decembris.

EPISTOLA CCXXX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Miratur , quod cum Papiam venerit , vbi simul conuenire debebant , legatos ad se non miserit . petit illos destinet , vt se ad eum conferre possit .

Dilecto ac spirituali filio Carolo glorioso regi.

SI C V T nostro præsulatu i vestris iam olim regalibus di-
rexistis apicibus , vt his Kalendis Nouembribus iam
transactis , vobis Papiam obuiam venire deberemus : qua-
tenus communi simul tractatu ea quæ sanctæ ecclesiæ Dei
virtutia sunt , & regni stabilitati proficia , pariter conside-
rassemus , stabilitateque perpetua firmassemus ; hoc qui-
dem auida extunc perficere mente parati existimus : sed
quia vos in Italiam introisse audimus , valde mirati sumus
quamobrem vestrum nobis aduentum , per excellentiæ
vestræ mellifluos apices , & idoneos legatos , cognitum
minime feceritis : nam paterno vos affectu diligentes , spe-
ciali dumtaxat intuitu magnitudinem vestram cernere de-
sideramns , filiorum carissime . Nunc itaque , si omnino
verum est iam Papiam venisse , volumus ut eximios ex
latere vestro nobis dirigatis legatos , honorificas sedi apo-
stolicæ literas deferentes : quibus videlicet perspectis ,
ad vestram properare serenitatem , communeque collo-
quium indubitanter valeamus : quia cum , Deo propitio ,
vobiscum fuerimus coniuncti , omnia quæ ad exaltatio-
nem sanctæ sedis apostolicæ matris vestræ , & ad vestrum
ac nostrum videntur pertinere honorem , Deo fauente ,
facile poterimus perficere . Pro quibus vobis , & in hoc se-
culo gloria multipliciter augeatur a Domino , & in cælesti
postmodum regione merces perpetua procul dubio tri-
buetur . Data vt supra .